



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Lexovien. Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

LEXOVIEN. EPISCOPO.

GARNERO PRIORI

Locheien.

Epist. 241.

Cum occasione illius indulgentiæ quam de benignitate &c. ut *suprà usque ad verbum illud* contentos. Ceterum ne propter hoc aliæ indulgentiæ, quas habes, videantur quomodolibet revocari, significatione tibi præsentium innotescat, quia nos prædictam tantum indulgentiam, & non alias, revocamus. Datum &c. Kalend. Iunij.

NOBILI VIRO FILIO
Ducis Austriae.

Epist. 242.
Imperat ut Regi Angliæ ablatam à patre pecuniam restituat. Vide *suprà* epist. 230.

In eo sumus officio disponente Domino &c. ut *suprà usque ad verbum* providere. Sanè quàm graves injurias & jacturas carissimo in Christo filio nostro R. Illustri Regi Anglorum à crucis obsequio revertenti Dux Austriae pater tuus intulerit, nullum Christiani nominis professorem credimus ignorare. Quæ res tanto profundius Romanam tangit Ecclesiam, quanto injuriæ Regi eidem illatæ in ejus injuriam & ignominiam noscuntur gravius redundare, cum ipsi Regi nondum fuerit satisfactum, licet non credamus à tua memoria excidisse quòd (divina gratia inspirante) prædictus pater tuus suum recognoscens excessum, ablatam pecuniam ipsi Regi non solum reddi præceperit, verum etiam à te & ab aliis familiaribus suis & fidelibus, qui præsentibus aderant, super solutione ipsius pecuniæ præstari fecerit corporaliter juramentum. Quia igitur tanti excessus injuriam clausis oculis præterire non possumus, nec debemus; nobilitatem tuam monemus & exhortamur in Domino, atque in remissionem injungimus peccatorum, quatenus tam tuæ quàm animæ patris tui salutem juxta præstitum à te providens juramentum, prænominato Regi pecuniam sine difficultate restituas antedictam, & de injuriis irrogatis satisfactionem congruam non differas exhibere. Alioquin noveris nos venerabili fratri nostro Salzburgen. Archiepiscopo dedisse firmiter in mandatis ut te ad hæc per excommunicationis sententiam in personam, & interdicti in terram, contradictionis occasione & appellatione cessantibus, monitione præmissa, compellere non omittat. Datum &c. III. Kalend. Iunij, pontificatus nostri anno primo.

Illi scriptum est super hoc.

Iustis perentium &c. *usque ad verbum* effectu. Sanè (sicut nobis exponere curavisti) idem Prioratus tuus redditus sufficientes, de quibus pro loci & Prioratus nominis celebritate honestè valeas sustentari, non habet. Verum cum tam apud Corne. quàm Molernum & Murum eadem Ecclesia quædam jura & redditus habeat, videlicet hominum & terrarum, quæ voluntate Prioris & Capituli dantur ad firmam, & de firmariis frequenter ad alios firmarios transferuntur, de illis ipsi Ecclesiæ nullum provenit incrementum: quæ si apud aliquem perpetuò residerent, salva pensione quam Capitulum inde percipere consuevit, ali-quod emolumentum posset exinde provenire. Unde nos tam tuis quàm Ecclesiæ tuæ volentes intendere incrementis, duximus statuendum ut completo termino eorum qui prædictos redditus & jura ad firmam habere noscuntur, salva consueta pensione Capitulo ipsi reddenda, tibi & Priori, qui pro tempore fuerit, ea liceat retinere; nisi fortè redditus ipsi tantum per meliorationem accreverint, ut & ipse census debeat augmentari. Decernimus ergo &c. Datum II. Kalend. Iunij.

EPISCOPO ET CAPITULO
Engolismen.

Ad audientiam nostram meminimus pervenisse quòd quidam Ecclesiæ vestræ Canonici, licet ibi non faciant mansionem, sed in locis aliis majori parte anni pro suæ voluntatis arbitrio sine rationabili causa morentur, vel etiam circumpositas circummeant regiones, tamen quoties de terrarum Ecclesiæ dispositionibus vel Canonicorum receptione tractatur, eandem sibi volunt sive in contradictione sive procuratore terrarum auctoritatem inter ceteros vendicare, quam illi qui circa Ecclesiam continuè demorantur & servitiis divinis assistunt. Unde, quoniam plus emolumentum merentur accipere qui plus inveniunt circa ministerium ecclesiasticum sustinere laboris, ad exemplar sanctæ recordationis Gregorij Papæ prædecessoris nostri, universitati vestræ præsentibus literis indulgemus ut si tales Canonici nullam rationem canonicam præ-tendentes

Epist. 243.
Quòd liceat si terras quæ rudentam firmam retinere, sicut Capitulo antiqua pensione.

Epist. 244.
Canonici apud Ecclesiam non residentes, non possunt suscipere quæ in absentibus restituantur.